



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. I. De Merito secundum se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

Punctum Difficultatis I.

Quæ Definitio & conditiones Meriti?

ita huic quando voluerit ipse det finem; quem si dat ante imminuentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.

ASSERO 5. Hoc ipsum quod est decedere in gratia, vel maxime formaliter perseverantiam. Ita S. Thom. in epist. ad Rom. c. 8. Lect. 6. Bonum hominis non solum consistit in quantitate charitatis, sed præcipue in perseverantia usque ad mortem, & Ratio est; quia hoc solo ablato, & reliquis positis, aufertur. Rursus reliquis ablatis, hocposito, salvatur tota ratio finalis perseverantiae.

QUÆRITUR 2. Quid quasi à parte Dei dicat perseverantia?

ASSERO 1. Quod non dicat aliquid habituale. Ratio. quia de illo PP. non meminerunt; & illud, quod est habituale in nobis, est gratia cum habitibus supernaturalibus, ad quos ipsos ut in nobis perseverent; indigemus perseverantiae gratia.

ASSERO 2. Perseverantiam tribus assertis prioribus explicatam, stare ordinarie in collectione plurium gratiarum. Ratio quia cum illæ perseverantiae involvant pluralitatem aliquam actionum, vel quasi actionum, hoc ipso depolunt plures gratias actuales: quarum: quia singulæ non sunt perseverantiae, fit ut tota nonnulli collectio dicatur donum illud.

ASSERO 3. Quod donum perseverantiae dicat universaliter & gratias externas, & internas; externas quidem; ut talem dispositionem physicam hic & nunc ad mortem, quod commune est adultis & infantibus, in adultis amotionem occasionum ad malum &c. dicit item donum perseverantiae Interiores gratias. Interiores autem gratiae stant in illuminatione ex parte intellectus, affectione ex parte voluntatis. Et quidem quod externa illa gratia pertineat ad perseverantiae donum; citatus est locus ex Lib. de Bono Persev. Videre à veritate. qui supra est citatus, quod autem ad perseverantiam spectent interiores gratiae colligitur ex necessitate gratiae interioris, alias probata.

QUÆSTIO III.

De Merito.

EFFECTUS actualium gratiarum in usum deductarum, est meritum. gratia etiam habitualis datur, tanquam radix merendi, dignificativumque meritum. Unde præsentem locum deposcit sibi tractatio de merito.

DIFFICULTAS I.

De Merito secundum se.

TRACTABIMUS imprimis de Definitione meriti, deinde de ejusdem conditionibus.

EXPLICAT 1. Meritum Ripalda d. 71. quod sit obsequium cedens in utilitatem, aut honorem alterius, volentis illud munere aliquo compensare. *Hec Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia: quantum fieri potest, per membra divisionis non debet formari definitio, ut formatur hæc, allumendo ly honoris, & ly aut utilitatis. Tum quia, ipsi illi termini necessario conveniunt in ratione aliqua communi. Unde per illam potius debet explicari meritum. Tum quia. Quamvis in merito sit formalitas nexûs cum persona cui fit illud meritum, est tamen etiam nexus cum ipsa mer ratione digni præmio: quia meritum & præmium, videntur relative habere se; meritumque hoc ipso quia meritum est meretur. Si meretur, aliquid meretur, adeoque præmium. Jam autem hæc duæ habitudines meriti si comparentur, videtur esse habitudo ad præmium prior, præhabitudine ad personam cui fit. Ratio. quia magis intrinsecum illud est; merito enim maxime intrinsecum est esse meriti, adeoque quod aliquid meretur consequenter per ordinem ad præmium; & sicut in bono ratio perfecti, prior est, quam ratio convenientis alteri, ita & in præsentis; quod universaliter ut dixi in hoc fundatur: quia extrinseca nunquam sunt priora: ratio autem meritivi præmii, quantum ex illa actione est, non est quid illi extrinsecum: secus persona cui fit meritum. quod si ratio; personæ est extrinseca, & non prima. Ergo in definitione meriti poni non debuit: quia hæc procedit per prima.

ADDI potest. Quod meritum ex ratione sua formali non inferat, minoritatem; hinc & æquales, de se invicem mereri possunt, obsequium autem importat minoritatem. Ergo meritum per obsequium definiti non debuit. quidquid in oppositum velit Ovied. cont. r. n. r.

EXPLICAT 2. Vasq. Quod meritum sit actio laude digna. *Hec Explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Omne relativum non potest aliter, quam per ordinem ad suum terminum explicari; meritum autem est relativum ad præmium; præcipue quia interdum merita erga alterum facta laudamus, quamvis non sint respectu nostri meritum. Tum quia. Est quidem interdum meritum ad laudem præcisè, ita ut laus sit præmium actionis; sed non semper: cur non enim præter laudem alia mereamur æque ac alias laudem, quo casu verè erit meritum; & non erit meritum tantum laudis. Ergo per ly esse digni laude, non rectè explicatur meritum. Tum quia. Ut urget Oviedo citatus n. 6. meritum apprehenditur, ut conveniens supposito distincto ab opere.

rante; opus autem ut dignum laude, tantum apprehenditur, ut conveniens operanti. Quod autem dicit Mararius apud eundem; Etiam pecuniam in primum datam, habere rationem laudis, id non convincit; quia ly laus in acceptione humana non supponit pro pecunia. Et si quaecumque premia appellentur laudes. Formabitur quaestio de sola voce.

EXPLICATUR 3. Meritum. Quod sit actus laudabilis natus habere collationem primum. Utor potius termino, natus habere, quam exigens, primum, vel ad illud obligans: quia ly exigit, & ly obligat, supponit pro aliquo iustitiam, & tamen non intercedit inter Deum, & creaturam rigorosa iustitia, cum tamen intercedat rigorosum meritum.

PROBATUR. Bonitas explicationis. quia convenit omni, soli, & semper, videturque procedere per prima. Ex quo

INFERS. Meritum erga Deum automasticon, esse actum supernaturalem laudabilem, natum habere à Deo collationem primum.

DICES 1. Admissum alias, posse aliqua peccata cum invincibili hic & nunc ignorantia Dei poni; talis poterit elicere aliquam actionem honestam cum invincibili ignorantia Dei, quo posito. vel erit illa actio meritoria; vel non? si non erit, cur non? si erit; quomodo nata erit habere collationem primum, cum non habeat ordinem ad eum, respectu cuius sit meritum, non habendo scilicet ordinem ad Deum.

RESPONDERI potest. Quod illa actio adhuc nata erit habere collationem primum. Casu enim quo aliquis operetur nesciens quod hoc sit offensum, & tamen aliquis offendatur, poterit adferre evacuativum offensae: Nescivi te offendere. Jam autem in casu, quo aliquis operatur actionem bonam in se, & meritivam in se, certe, qui ceteroqui premiasset illam actionem, non poterit adferre titulum qui evacuet dignitatem ad primum. Nam poterit dicere: Nescivisti te premiandum; sed non poterit dicere: non dabo primum: quia nescivisti hanc actionem esse à me premiandam, & tamen fecisti: Cum in moralibus interdum exinde augeatur etiam primum; quod ex amore, non intuitu primum fecerit. Habebitque nexum cum primum ratione obligationis, vel pacti inducti de premiando tales actiones. Rursus primum in merito, ita se habet sicut poena in demerito. Sicut ergo puniendus aliquis poenam, sive sciat se puniendum sive non, iuste punietur; ita supposita bonitate actionis, nata habere rationem primum, quantum est ex illa, sive scias de dando primum, sive non, dignus eris primum. Quod ipsum in hoc resolvitur: quia quae se habent per modum sequelae, positae iis, respectu quorum habent se per modum sequelae, necessario proveniunt; hoc ipso enim non se haberent per modum sequelae. Unde si haberet se per mo-

dum sequelae offensae Dei ad actionem malam, ubicumque esset actio, mala illic esset offensae Dei; consequenter esset offensae Dei etiam peccatum philosophicum, quod negatum est alias. E contra: quia poena est sequens peccatum, hoc ipso, quia ponitur peccatum, erit poena. Quia autem etiam obligatio ad dandum primum, est quid sequens actionem dictam, sit ut necessario sequatur primum. Est ergo nexus cum premiante in illo opere inclusus ratione obligationis premiantis, quae obligatio habet se per modum sequelae. Ceterum formaliter est meritum, si quis sciens hoc esse meritum, ponat actionem, quantumvis etiam sine hac scientia formaliter mereatur; ad eum planè modum, quo formaliter est fur, qui sciens alienum accipit, licet formaliter sit injurius, si ex praecito titulo, quia alienum est, accipiat.

DICES 2. Revelat Deus se non daturum primum ullum, credatur hæc revelatio, illa actio credendi erit meritoria, & tamen non nata habere primum; cum non possit esse talis ille actus.

RESPONDETUR. Quantum ex vi actus de se spectati, est ille actus meritorius, licet ex accidenti, talis circumstantiationis, non sit meritorius.

DICES 3. Actio mala non rectè definitur, quod sit nata habere inflectionem poenae. Ergo nec definiendum meritum, quod sit natum habere primum.

RESPONDETUR. Si res sit de actione mala ut sic, verum est Antecedens. Disparitasque erit: quia datur in peccato prior formalitas dignitate poenae; non datur autem in merito prior formalitas praedicta. Si autem sit res de actione mala secundum quod illa est demeritum Negatur Antecedens.

INFERS. Distingui inter se impetrationem, meritum, satisfactionem: quia impetratio habet formalitatem precum, & supplicantis, perficiturque; tanquam ratione & Quo, precando. Merita autem non habent formalitatem precum; sed actionis jam definitae. Satisfactio item procedit secundum suppositionem poenae, ejusque abolitionem per recompensam. De his fufius Ripalda. d. 15. n. 6. Oviedo tract. 9. cont. 1. p. 5.

Quod attinet ad conditiones meriti, Plures numerantur, ut quod sit actus liber; alias non esset laudabilis, quae conditio non excludit, quominus actu aliquo etiam necessario possimus mereri, modò sit honestus, aut saltem alias capax libertatis: saltemque habeat libertatem contrarietatis, quod vel maxime procedit demerito in alio rerum ordine. Item quod debeat esse actus bonus, quae conditio est omnino necessaria. Addunt alii quod debeat esse in statu viatoris, & hæc conditio non est de ratione meriti ut sic. Certè enim Beati merentur nobis plura bona, & tamen sunt in termino. Nulla item im-

R. P.
THE MLC
zianows.
Tom. 1.
D. VI

plicancia, cur Beati etiam in cælo non possent sibi mereri? Imò defacto putant aliqui, quòd defacto animæ purgatorii sibi mereantur. Testis Ripal. d. 77. n. 29. citans S. Thomam Sorum, probabileq; id putat Suar. & Torrez, expresseque docet Suar. apud eundem, quòd viventibus beneficia mereantur. Imò Viegaz, Henring. Abul. probabileq; putat Torrez, Montefino, & alii. quòd etiam Enoch & Elias ad hunc usque diem mereantur. Cur non enim? quod enim dicitur superaturos illos merito Beatissimam & Apostolos, hoc negari facile poterit, magnitudo enim meriti non æstimatur tempore. Addit tamè Ripalda, incertū hoc esse: quia non fultum revelatione. Cæterum meritum præmii supernaturalis debet esse supernaturale, eò quòd inter naturale, & supernaturale, nulla sit proportio. Colligitur doctrina ex Tridentino, quòd docet Christum Jesum tanquam Caput in membra, & tanquam vitim in palmites jugiter virtutem influere, quæ virtus bona opera semper antecedit, comitatur & sequitur, & sine qua nullo pacto grata, & meritoria esse possent. Sed potestne id saltem divinitus, & pro alio rerum ordine fieri? Cajetan. & Med. affirmat. Negat Suar. & Vasq. & alii ex Nostris, & quidè quòd de condigno id non possit mereri. Ratio est: quia vel ex se, vel ex divino placito id haberent dicta merita: non ex se, quia sunt improporcionata; non ex divino placito: quia illud, si non sit radicalis proportio & dignitas, non potest dare operibus dignitatem. Potest quidem alligare se ad dandum supernaturale aliquid positis illis naturalibus actionibus, sed non secundum vim præmiandi, sed secundum meram liberalitatem, fidelitatemque, vique pacti ligatam, quo etiam sensu à nobis aliàs hæc propositio admittitur. Nec possunt actiones naturales habere rationem meriti de congruo: quia universales locutiones Patrum oppositū innuunt, quos vide apud Rip. d. 16. n. 5. Cujus rationem innuit idè n. 25. quia quòd est meritum de congruo potest accedente statu gratiæ vel pacti, reddi meritum de condigno. Ratio autem meriti de condigno ad præmium supernaturale, nunquā potest competere meritis naturalibus.

Potissima quæ tractatur conditio est. An ad meritum necessaria sit promissio præmii, an non? quòd attinet ad usum vocabuli; distinguenda sunt hæc, promissio, condonatio, acceptatio. Acceptatio est quid superius promissione: licet enim acceptatio præsupponat interdum promissionem, non semper tamen: quia potest acceptari quòd non erat promissum, datur tamen; hinc acceptatio tenet se penes eum qui accipit jus, vel quasi jus & titulum. Promissio vi vocis significat obligationem, quam aliquis in se sponte titulo vel justitiæ, vel fidelitatis inducit, tenetq; se penes eum qui acquirit debitum, vel quasi debitum; Condonatio im-

portat placitum secundum quòd unum negligitur alteri. Pro præsentis ergo quæritur, an ad meritum necessaria sit promissio ex parte præmiantis, quā se obliget ad dandum tale præmium, posita tali actione tanquam merito præmii. Affirmat Scotus, & post eum Pontius, q. 1. n. 11, & totā q. 4. Consentit Amicus cum Kon. d. dub. 4. n. 42. Negat Richard. Sotus Vasq. & alii.

Punctum Difficultatis 2.

Argumenta pro conditione meriti, quæ est Acceptatio.

1. ARGUMENTUM est Pontii, ab Auctore script. & Trident.

PRIMA est S. Pauli ad Rom. 8. *Existimo, inquit, quòd non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam.* Idem habet 2. ad Corinth. 4.

RESPONDETUR. Aliud est quærere, an defacto facta sit promissio dandæ vitæ æternæ: hoc enim est verum; & aliud est quærere, an id sit de ratione meriti; nec id voluit S. Paulus. Deinde alia est hæc quæstio. An respectu ætuum ex se condignorum sit excessivum præmium & liberalissimum: hoc enim concedunt oppositi; & aliud, an independenter ab acceptatione habeant rationem laudabilis, & digni præmii secundum obligationem, sive hoc sit liberalissimum, sive non.

2. est Trid. ex Sess. 6. c. 16. Ubi docet Tridentinum, vitam æternam esse, & tanquam gratiam promissam.

RESPONDETUR. Defacto factam esse promissionem, sed inde non sequitur, quòd independenter ab illa non sit ratio meriti.

3. AUCTORITAS est Triden. Sess. 14. cap. 9. Ubi Trident. in divinæ magnificentiae largitatem refert, quòd etiam temporalibus flagellis patienter latis, satisfacere valeamus.

RESPONDETUR. Id quòd attollit Tridentinum, non est, quòd divina acceptatio, vim dignitatemque merendi tribuat penes patienter latis, sed quia poena quæ talis, poterat repudiari à Deo, & esse tantum effectus ultionis divinæ.

Universaliterq; dici potest ad omnes Auctoritates, quòd pertineat promissio ad meritum non tanquam radix meriti, sed tanquam aliquid connexum, illiusque completivum.

2. ARGUMENTUM ejusdem est, quia perfectissimum meritum, quòd potest in hac vita haberi, est actus charitatis supernaturalis diligendi Deum super omnia, & moriendi pro illo; hic autem actus non habet condignitatem ex se ad vitam æternam; est enim inferior conditione; & quoad naturam specificam & quoad durationem.

RESPONDETUR. Condignitatem radicalem habere illos actus ad vitam æternam independenter à promissione, licet non habeant condignitatem completam, adæquatam, obli-

(X) 3. gati-

gativam. Rursus condignitatis nomine potest venire æqualitas commensurata etiam liberalissimæ donationi divinæ; & in hoc sensu dicto, actus non habent condignitatem; hoc ipso enim illud præmium non esset liberalissimum. Deinde nomine condignationis venire potest excellentia proportionata; si proportionata, hoc ipso dicens æqualitatem cum in æqualitate. Stabitque condignitas hæc in hoc prædicato, quod habeat radicalem suam condignitatem, ut si cui sit danda vita æterna, ex suppositione alicujus præstiti, danda sit dictis actibus.

INSTAT Idem. Opus procedens ex gratia, non recipit ab illa dignitatem physicam, æqualem vitæ æternæ. nec etiam moralem: quia hæc fundatur in physica æquivalentia. Ergo erit insuper necessaria acceptatio.

RESPONDETUR. Concesso quod non habeatur æqualitas physica & moralis, eaq; commensurata in illis actibus ad vitam æternam, Concedo consequentiam, quod requiratur acceptatio, sed non tanquam ratio primò constitutiva radicalis dignitatis; sed tanquam ultimò completiva. Deinde dici potest, quod opus profectum in & ex gratia, accipiat dignitatem physicam æqualem vitæ æternæ, quoad excellentiam entitatis. In quantum vita æterna merces est supernaturalis, cum etiam gratia, sit quid quoad substantiam supernaturale; licet non accipiat æqualitatem physicam ei; ut simul liberalissimum donum est. In vita enim æterna, citatum Tridentinum agnoscit rationem mercedis, & rationem gratiæ: Non est ergo æqualis actus ille vitæ æternæ, in quantum liberalis donatio est. licet sit æqualis ei, ut merces est. quæ duo sunt quidem realiter idem in vita æterna, formalitate tamen distinguuntur: Nam accipiendo Beatitudinem pro ipsa nostra actione vitali supernaturali attingente Objectum divinum; in quantum dicit præcisam vitalitatem supernaturalem, in tantum est merces, & dicit æqualitatem cum actu supernaturali; in quantum autem habet rationem attingentis objectum quod est Deus, illumque nobis conjungentis; adeoq; in quantum simul importat objectum tale taliter actum, & insuper perpetuitatem sui; intantum est inæqualis, & dicit rationem liberalis doni. Unde si nomine æquivalentiæ intelligatur æqualis commensurata; hæc non habetur, ut dixi; nec etiam requiritur ad meritum de condigno. Si autem per æquivalentiam intelligatur excellentia meriti radicalis, id habetur idque antecederet ad acceptionem; idq; vel ex hoc ipso, quia procedit à filio Dei adoptivo. Unde etiam in humanis, reverentia exhibita à filio, non præcisè ratione reverentiæ, sed simul ex suppositione esse participati ab hoc Patre legitime, meretur etiam ditissimam hæreditatem naturalem; eò quod in humanis, ipsa esse paterni participatio,

sit ipsum naturale meritum hæreditatis; ita ut nulla sit hæreditas, quæ illi in moralibus non debeatur; & si relinquatur, non fiet filio talis moraliter gratia, qualis fieret si adoptivo conferretur. Ita etiam proportionaliter loquendo, participatio naturæ divinæ, quæ habetur in filio adoptivo, confert condignitatem ad bonum Dei. Et sicut non quæcunq; reverentia filialis meretur hanc hæreditatem; sed nominè ex suppositione esse participati habet radicalem condignitatem; ita & in præsentem non quæcunq; merita merentur de condigno vitam æternam; sed radicalem condignitatem habent, ex suppositione participationis naturæ divinæ.

3. ARGUMENTUM est ejusdem contra Vulp. Quamvis aliquis laboraret in vinea alterius, labore æquivalente uni scuto, non meretur illud scutum, si laboraret absque inito pacto. Ergo quamvis aliquis eliceret actum æquivalentem vitæ æternæ, non mereretur ipsam nisi Deus illi promittat pro tali actu.

RESPONDETUR. Quod talis non meretur independentem à promissione completæ, & ad æquatè poneret tamen actionem habentem radicalem exigentiam ad acceptionem. Et sic ut in alio labore, quem aliquis subiret in vinea antecederet ante omnem acceptionem Domini, esset talis, vel talis conditio laboris, seu radicalis illius excellentia; ita etiam est in merito radicalis excellentia, quam non confert acceptatio divina, sed supponit.

INSTAT. Si Rex Franciæ amaret Regem Hispaniæ tam perfecto amore, quam filius Regis Hispaniæ, non mereretur tamen de condigno hæreditatem ipsius. Ergo neq; etiam filius Regis Hispaniæ meretur ipsam, cum sic amando; quamvis actus amoris esset æquivalentis hæreditati, nisi accederet promissio Patris. Ergo etiam idem dicendum de merito filii adoptivi.

RESPONSUM. Promissionem requirit tantum quid ultimò completivum; sed non tantum quid constitutivum radicalis exigentiæ. Deinde etiam prima Consequentia non tenet quia amor illi, filii Regis Hispaniæ, superadditur morale meritum; quod non est in actu aliquo, sed in ipso esse participato ab hoc Patre; in circumstantia cujus esse, nullæ sunt divitiæ Regis Hispaniæ, quas non mereatur filius, nisi aliunde demereatur. Unde universaliter dicitur, meritum de condigno, neq; dicere obligationem; neque æquivalentiam pro commensuratione sumptam, sed solam radicalem exigentiam, secundum quam terminare potest acceptionem, jure præ aliis potiori; & quæ tentà non possit dicere præmiaturus, nec meretur à me acceptari hic actus.

INSTABIS 2. Si pactum non requiritur ultra quamcunq; dignitatem, non est ratio cur opera animatum purgatorii, & BB. non sint meritatoria augmenti gloriæ.

RESPON

RESPONDERI potest querendo, quare etiam per oppositos Deus prædicta opera non acceptet, referent id indubiè in libertatem Dei, referent & oppositi. Deinde dici potest, quod radicalem excellentiam actus illiæque in patria habeant, ac in via; non tamen mereri mercedem: quia illa merces, est ejus conditionis, ut simul sit liberalis Dei donatio, adeoque quam potest Deus negare. Sic v. g. finge Dominum, qui non potest solvere mercedem nisi simul plus donet, quam valeat meritum. Certè hic, si pro sua libertate noller de novo fieri liberalis, nullum etiam meritum per ordinem ad illam mercedem acceptaret, non quod actio illa de se non esset digna præmio, sed quia Dominus illi præmio non vult conjugere donationem liberalem; sic etiam in præsentia, actiones Beatorum essent de se dignæ præmio, sed quia præmio adjungit Deus liberales suas donationes, quâ libertate, & liberalitate non vult uti Deus cum beatis, ideò non acceptat illorum illas actiones ad præmium, cæteroqui dignas acceptari. Cur autem liberalitatem illam nolit exercere Deus, referri id debet in dictamina illius sanctæ & altæ rationes. Congruentia etiam adfuit. Ut nos invitet Deus ad ferventiùs merendum; ut ostendat liberalitatem, quæ pro parvo tempore æternitate munerat.

INSTABIS 3. Valor monetæ est ex acceptatione. Ergo & valor meriti.

RESPONDETUR. Merita nostra per ordinem ad acceptationem non posse comparari valori scuti; quia hic valor est verè ad placitum, & ex impositione. Jam autem valor meriti, non est imputatus, sed in ipsa actionis natura antecedenter situs: accessusque promissionis, non auger valorẽ moralem intrinsecum, & radicalem; sed adjungit non nisi obligationem.

4. ARGUMENTUM Amici. Condignè & completè mereri vitam æternam, est illam propriâ actione reipsâ jure debitam sibi facere, ut probat Auctoritas S. Th. & Trid. Sess. 6. c. 16. & Pauli ad Rom. 4. sed nemo absque promissione Dei, vitam æternam sibi debitam facere potest. Et sicut si aliquis, pro equo alicujus, pretium æquivalens offerat, non propterea illum sibi debitum jure facit; sed est necessaria acceptatio venditoris; ita & in præsentia.

RESPONDETUR. Concedendo, totum: Proceedit enim argumentum de ratione completa meriti quam nos referimus in promissionem. Imò sicut antecedenter ad acceptationem pecunie, est radicalis illius exigentia ut acceptetur; ita & in præsentia.

INSTABIDEM. Merita Christi non solum digna fuere aliâ unionem Hypostaticâ, sed etiam alio præmio gloriæ, etiam damnatis dando, quodque talia non fuerint, defuit acceptatio.

RESPONDETUR. Acceptationem divinam non daturam fuisse radicalem condignitatem

ad dictum præmium, sed illam etiam nunc haberi. Deinde quamvis non requiritur acceptatio, saltem requiritur ne excipiat agens sibi collationem præmii, idque etiam acceptante præmiaturo, exceptit autem sibi Christus ne dicto modo præmiarentur sibi sua merita. Quamvis autem voluntati divinæ accommodaverit se Christus in suorum meritorum oblatione, tamè non erit necesse promissione illa stare, merita accepta secundum radicalem condignitatem, quam habent independentè ab acceptatione.

5. ARGUMENTUM ejusdem est. Quidquid facit ad proximius jus meriti ad præmium, per se complet meritum; quia quidquid perficit rem sub eo genere, sub quo res constituitur, pertinet ad proprium complementum ipsius, sed promissio facit ad proximius jus meriti ad præmium, strictiori enim ac proximiori jure debita est vita æterna ex promissione, quam sine illa.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Concedo enim ultimò compleri meritum acceptatione, ita tamen ut in merito antecedeat radicalis condignitas & exigentia ad acceptari, nec hæc exigentia habetur ab acceptatione. Deinde in merito distinguendæ sunt duæ formalitates, hoc est, actio meriti talem excellentiam habentis, hæc habetur independentè ab acceptatione. Alia est formalitas obligantis, hæc non habetur independentè ab acceptatione, & promissione. Neque enim obligari potest Deus nisi volens.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta contra Conditionem Meriti quæ sit Acceptatio, & quid tandem tenendum?

RATIO Prima à Paritatibus.

1. PARITAS. Opera Justorum absque promissione, sunt impetratoria condignè vitæ æternæ. Ergo & meritoria sine ulla promissione, cum non aliter mereantur nisi impetratoriè.

RESPONSUM, secundum radicalem excellentiam, sunt meritoria opera nostra sine promissione, sed non sunt meritoria, accipiendo rationem meriti, secundum omnes formalitates quas includit, qualis est obligatio Dei ad retribuendum, quæ non apparet quomodo in Deum inducetur sine ejus voluntario consensu, essetque imperfectio in Deo talis obligatio independentè à voluntate ejus inducta, quam obligationem quia non inducit impetratio, fit ut non indigeat compleri promissione.

2. PARITAS. Peccatum sine ulla comminatione puniendi à Deo, condignè meretur poenam. Ergo & meritum sine promissione condignè meretur vitam æternam. Imò merita Christi Domini non forent ita potentia sicut peccatum: quia absque ullo pacto, peccatum meretur

(X) 4 poenam,

pœnam, & merita Christi absq; pacto non fuissent condigna, si cæteroqui omne meritum indiget acceptari.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia cum non puniantur, ut dictum, ultra æqualitatem peccata; non debebat dari principium adstrictivum ad illa ultra æqualitatem puniendâ: quia autem merita nostra præmiat Deus ultra æqualitatem; & tamen per modum obligatæ mercedis; hujus obligationis principium non poterat esse aliud, quàm promissio. Rursus quia potest Deus alio titulo velle exigere, & non tanquam merita, illas actiones nostras, debebat poni aliquod principium transferens illas ad rationem proximam & completam meriti; quæ non potest esse alia quàm acceptatio divina: quia autem peccatum quotiescunque ponitur, non potest esse nisi peccatum, adeoq; nisi malum si malum, merens puniri à Principe Reipublicæ rationalis; hinc fit, ut in peccato sit meritum pœnæ independenter ab omni comminatione. Neque inde sequitur efficaciora esse peccata in ratione demeriti, quàm merita Christi: quia licet indigerint acceptatione inclusâ in ipsâ voluntate Dei, volentis hoc remedio salvare genus humanum, quæ voluntas necessariò intervenire debuit in nostra Redemptione; habent tamen merita infinitatem longè excellentiori modo participatam, & exigentem, ut non nisi acceptentur, supposito quòd offerantur.

3. PARITAS est. Si Deus comminaretur pœnam æternam veniali, non foret hoc ipso mortale; nec ille cruciatus esset pœna proportionata culpæ. Ergo nec in præsentî, quidquam conferet promissio.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Quia sine gravi offensa nemo potest se resolvere ad tantum malum; & pœnam, quàm pœnam mereretur tunc peccatum quod erat ante veniale. Deinde Argumentum non est contra nos: quia non dicimus, quòd Dei promissio attollat rationem radicalem meriti; sed tantum adferat obligationem. Sicut etiam illius pœnæ comminatio, non attollit intrinsecam malitiæ rationem: licet illi adferat circumstantiam extrinsecus attollentem, odibilitatem ejusdem.

4. PARITAS. Homo gratiâ justificanti rediditur sanctus, sine ulla acceptatione divina. Ergo idem dicendum de merito.

RESPONDETUR. Medium terminum esse pronobis: quia in casu Antecedentis debet intervenire à parte Dei condonatio. Ergo & promissio. Disparitas etiam est: quia esse sanctum nihil aliud est, quàm habere formam sanctitatis sibi subiecto capaci unitam, quod totum habetur sine eo, quòd intelligatur acceptatio. Nec potest aliud facere illa sanctitas, subiecto capaci unita; quia autem illas actiones posset alio titulo exigere, aliudque illa facere, debebit dari ultimo & completè translative ad rationem meriti; quod non aliud est quàm promissio.

5. PARITAS. Ad hoc ut aliquis mereatur de condigno mercedem pro labore quem subit in vinea, non est necesse ut dominus vineæ promittat id expressè, sed sufficit labor, quem vel mandat, vel significat sibi placere Dominus vineæ.

RESPONDETUR. Sicut sufficit interpretativa obligatio in Domino vineæ, sic sufficit & in Deo. Et sicut potest Dominus dicere, placuit mihi tuus labor in vinea: sed illum non volo solvere: quia te non vocavi, nec conduxî, ita ut etiam inibi debeat intercedere obligatio sui: sic & in præsentî.

2. RATIO est. Si promissio spectat ad rationem meriti, sequitur quòd in collatione Beatitudinis æternæ non attendat Deus ad valorem sed ad suam promissionem, Proindeque idem esset Deo promittere aliquid pro laboribus, ac pro nihilo, quæ est Doctrina Kemnitii.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Cum independenter à promissione tribuamus operibus excellentiam radicalem, quæ non est nihil.

INSTAT. Qui promittit equum pro pecunia exigui valoris, non auget pretium pecuniæ. Ergo idem in præsentî.

RESPONSUM. Valorem radicalem non addi promissione, sed formalitatem obligationis, quam etiam promissio venditoris equi addit pecuniæ, sine qua promissione non obligaretur venditor ad dandum equum, intuitu illius pecuniæ.

3. RATIO est. Ex absurdis.

1. ABSURDUM. Sequitur ex hac sententia, non meruisse multos vitam æternam; quia ad meritum requiritur promissio, quæ debet esse nota, multis autem justis non est nota &c. & rejicitur ab opposita sententia, in qua, oppositi nihil deberent mereri.

RESPONDETUR. Sicut ad hoc ut aliquis mereatur de condigno, non est necesse ut sciat se filium Dei adoptivum, quamvis necesse sit, ut sit; sic nec erit necesse scire de hac promissione. Sufficit quòd Deus se obliget; ad eum modum, quo licet nesciam hoc mihi debere Paulum: quia me infcio hoc mihi abstulit, verè tamen mihi debebit Paulus.

2. ABSURDUM est. Quòd scilicet merita Christi non forent de rigore justitiæ, cum in ratione meriti pendeant à promissione divina, quæ poterat non præstari.

RESPONDETUR. Merita Christi non in isto sensu esse in rigore justitiæ, quòd non indigerint ullâ acceptatione, sed isto sensu: quia scilicet non plus est indignitatis in offensa, quàm radicalis excellentiæ in illismet ipsis; præcipue cum mereantur acceptari, si in ordine ad acceptationem offerantur.

3. ABSURDUM est. Sequeretur Christum non esse meritum gratiam Antiquis Patribus: quia Deus non promissit Christo se daturum illis gratiam, cum ante PP. non fuerit Humanitas Christi, cum qua Deus pacisceretur.

RESPON

RESPONDETUR. Ex pravis meritis poterat dari absolute gratia primis PP. & ex prava oblatione Christi, quam facere debuit pro salute mundi, quam ab æterno accepit Deus, acceptioneque illa obligavit se Deus, fecitque pactum ab æterno licet non pro æterno, sed pro tempore Christi exituri implendum, ratione cuius obligationis potest dici, datam esse gratiam sanctis Patribus, ex promissione Dei facta Christo.

Ripalda & Oviedo, dicunt hanc questionem esse de voce, quamvis addat Ripalda in decursu procedi ad questionem de re, quod ut fiat, jam resolvo.

Quid tenendum.

ASSERO 1. Hoc nomen Meritum posse dupliciter spectari. Nominaliter & participialiter. Nominaliter acceptum dicit actionem supra descriptam. Participialiter autem acceptum, dicit insuper positionem præteritam illius actionis cum quodam ordine & efficacia obligandi alium, & in isto sensu dicitur, meritis est, v. g. Petrus, ut hoc illi des. Item meritum habet istius præmii &c. similia.

ASSERO 2. Quamvis meritum tam nominaliter, quam participialiter acceptum sit relativum & ad aliud: nemo enim meretur apud seipsum, nihilominus si inadæquate, & secundum esse absolutum spectetur, potest accipi secundum fundamentum illud, quod fundat ordinem ad aliud, & est ipsamet excellentia intrinseca actionis, quæ est radix acceptationis; & sicut cum inducimus aliquem ad acceptandum pretium iustum pro re vendibili, præsentare illi solemus, quod hoc pretium mereatur admitti, item quod habeat plus præ reliquis, quæ ab aliis offerri possent &c. ita & in merito, est radicalis excellentia.

ASSERO 3. Nomine meriti tam nominaliter, quam participialiter, ut plurimum accipitur ratio relativa & importans obligationem.

RATIO. Quia meritum independentem ab obligatione, ita se habet in sensu morali, quasi non esset meritum. Ad eum modum, quo pretium, nisi acceptetur, habet se ac si non esset pretium.

ASSERO 4. In merito distinguendas esse has duas formalitates: nempe radicalem excellentiam, & rationem obligationis.

RATIO. Tum quia. Diversas habent definitivitates. Tum quia, prior illa ratio, est absoluta, posterior relativa. Tum quia, obligatio est in ordine iustitiæ, vel quasi iustitiæ, meritum autem non est ex ordine iustitiæ, ut sic loquendo, sed ex ordine studiosæ actionis.

ASSERO 5. Formalitatem meriti absolutam, & quæ meritum formaliter est, non compleri acceptatione.

RATIO. Tum quia. Excellentia actionis in ratione suæ excellentiæ non completur à promissione: promissio enim tenet se ex parte pro-

mittentis, excellentia actionis tenet se ex parte ipsius actionis.

Tum quia, id quod antecedit omnem promissionem, in eo in quo antecedit, compleri non potest promissione; absolute autem illa formalitas antecedit omnem promissionem, cum pro ratione promissionis adferri possit. Tum quia, multa objecta non ideo sunt mala: quia à Deo prohibentur, & non acceptantur, sed ideo prohibentur, & non acceptantur, quia sunt mala. Ergo etiam in objectis bonis, erunt talia, quæ non ideo sunt bona, quia acceptantur, sed ideo acceptantur, quia sunt bona. Ergo ratio illa bonitatis objectivæ, erit prior acceptatione; & hæc est ratio illa absoluta, de qua agit Assertum.

ASSERO 6. Formalitatem meriti respectivam, secundum quam dicit meritum, jus in merente, & obligationem in alio, compleri acceptatione.

RATIO. Tum quia. In omni communione vitæ, debet unusquisque venire cum suo superabundanti: quod in præmiante non aliud est, quam promissio præmii, & ejus actualis exhibitio, quæ ratio attingitur in materia de iustitia. Tum quia. Obligatio debet esse vel inviti, vel volentis, cum ergo Deus invite obligari non possit, debet obligari volens, adeoque acceptans, quod idem servit meritis creaturarum. Tum quia. In merito formalitas excellentiæ actionis, non est ratio obligandi: posset enim quis dicere, hæc quidem est excellens actio, sed nolo illam, nec illam indigeo. Ergo ratio obligationis debet referri in acceptationem: in quid enim aliud?

ASSERO 7. Ut aliquis dicatur in actu secundo mereri necesse est, ut non repugnet præmiaturus, & ne testetur se nolle illam actionem, consequenter semper requiretur acceptatio negativa.

RATIO. Quia si considerentur merita nostra comparatè ad Deum; illa non habent infinitatem bonitatis, & non participant de irrepu diabilitate. Si ergo non accedat acceptatio negativa, qui poterunt obligare Deum? Merita etiam erga creaturam, non auferunt libertatem præmiaturo, nec habent intrinsecam vim obligandi. Ergo saltem requiretur negativa acceptatio.

ASSERO 8. De facto Deum aliquas condignas actiones non acceptare.

RATIO. Quia non minus intrinseca dignitatis & excellentiæ habent actus Beatorum, imò & libertatis contrarietatis, & tamè non merentur vitam æternam, & augmentum gloriæ; non est autem ratio cur mereri non possint?

ASSERO 9. Quamvis hoc quod dat Deus in præmium actus condigni, possit reverè dare in præmium actus qui de se non est condignus, nihilominus quod de se non est condignum alicui præmio, non potest reddi solà acceptatione condignum.

RATIO prioris partis est. Quia si Deus præcisè non nisi ex liberalitate potest donare hoc quod dat in præmium, non est ratio, cur tanquã condi-

conditionem suae liberalitatis promendae, non possit exigere aliquem actum, de se non nisi congruum. Ratio posterioris partis, quia sola acceptatio, ut dictum supra, non attingit, nec formalisat intrinsicam excellentiam actionis.

Unde Addo, quod in merito de condigno sit aliqua formalitas, quae non est in merito de congruo: sicut enim genere distinguuntur, naturale meritum & supernaturale; ita specie distinguuntur meritum de condigno & congruo, si congruitas oriatur ex intrinseca conditione, quantumvis formalitates illae sint nobis ignotae, & non nisi hoc generico termino exprimibiles, quod sit major excellentia meriti de condigno, quam meriti, ex natura sua non nisi congrui. Ceterum si sit condignitas in actu primo, & non in actu secundo, adeoque non nisi congruitas formalisat praecise per defectum acceptationis; quia scilicet illa actio est quidem meritum de congruo, sed esset meritum de condigno si fuisset acceptata: v.g. enim idem actus contritionis, si ponatur ante infusionem gratiae, erit meritum de congruo, si post infusionem gratiae, erit meritum de condigno. Eo certe casu acceptatio addet condignitatem in actu secundo, adderetque illi contritioni elicite ante infusionem gratiae, si acceptaretur.

DIFFICULTAS II.

De Divisione Meriti.

Celeberrima Divisio meriti; est in meritum de condigno, & de congruo. Differentias illorum est hic necesse perstringere.

EXPLICANT I. aliqui, sumptâ differentiâ ratione subjecti merentis: Ergo ad hanc classem revocandi ii, qui explicant meritum de condigno, quod procedat à Filio Dei sanctificato per gratiam, secus meritum congruum. Item ii, qui meritum de condigno appellant meritum iusti universaliter acceptatum, secus de congruo. *Hac Explicatio*

NON SATISFACIT I. Quia non dat rationem universalem meriti de congruo ut sic, sed solam particularem, nempe meriti Theologici.

NON SATISFACIT 2. Quia etiam in consideratione Theologica non explicat universaliter meritum de condigno: quamvis enim aliqua merita, quae sunt merita filii Dei adoptivi, sint merita de condigno, sunt tamen etiam aliqua merita non nisi de congruo, de quo infra. Unde etiam nemo alteri meretur de condigno justificationem, meretur de congruo.

NON SATISFACIT 3. Quoad illum secundum loquendi modum: quia imprimis etiam Beati sunt iusti, & tamen etiam illi de congruo non nisi aliqua nobis merentur, acceptatioque illa, cuius meminit explicatio, non confert quidquam: dictum enim supra, quod acceptatio non ingrediatur rationem meriti, quâ talem. hic autem quaeritur de ratione meriti

condigni, quâ talis. Deinde merita etiam congrua, acceptantur in ratione congruorum, & tamen non sunt condigna. Ergo apparet, praecisam acceptationem non formalisare condignitatem.

EXPLICANT 2. Alii, secundum habitudinem diversam actionis ad praemium; huc revocatur, qui docent de ratione meriti de condigno esse aequalitatem cum premio, vel operationem iusti, ex cognitione pacti, de reddendo infallibiliter praemio. *Hac Explicatio*

NON SATISFACIT I. Quia nullum est meritum nostrum condignum vitae aeternae, quia & nulla aequalitas: hoc enim praemium involvit Deum in se attachum involvit aeternitatem, quae omnia non habent aequativum in merito temporali. & respexit S. Paulus: *Memoriam nostram, inquit, & leve tribulationis nostrae aeternam gloriae pondus operatur in nobis.*

NON SATISFACIT 2. Quia aequalitas est formalitas ad iustitiam spectans, meritum autem quâ tale non est de linea iustitiae. Ergo hac explicatione non attingit rationem meriti de condigno quâ meritum est. Deinde aequalitas est praedicatum respectivum, debet ergo dari eius fundamentum & radix, illaque erit conceptus absolutus meriti de condigno, definitivus.

NON SATISFACIT 3. In quantum ad meritum de condigno requirit ut procedat ex cognitione pacti. Ratio. Tum quia, alias rudiores raro aut nunquam mererentur de condigno: quia non sciunt, aut non advertunt ad cognitionem pacti. Tum quia, si pactum ipsum non ingreditur, ut dixi, rationem formalem meriti; cur ingreditur eius cognitio? Tum quia, à nostra cognitione non potest refundi in actiones, alia formalitas, quàm secundò intentionalis, & tamen esse meritum de condigno, non est formalitas secundò intentionalis. Et certe scimus esse articulum fidei, Petite & accipietis: tamen oratio non est semper meritum de condigno; imò ex ratione sua communi non est meritum, sub formalitate orationis.

EXPLICANT 3. Alii. Differentiam petendo ex modo obligandi, ita ut meritum de condigno sit, quod infert obligationem iustitiae, vel quasi iustitiae, meritum autem de congruo, non infert talem obligationem. *Hac Explicatio*

NON SATISFACIT I. Quia distinximus supra formalitatem meriti, à formalitate obligationis. Ergo una formalitas per aliam explicari non debet.

NON SATISFACIT 2. Quia non posita promissione divinâ, non sequitur in Deo titulus delictatis & iustitiae; & tamen non posita promissione, adhuc, ut dictum supra, manet rationalis illius excellentia, etiam sub formalitate condigni.

NON SATISFACIT 3. Quia si per impos-